



## P R O E M I U M

**Q**uanto majoris momenti est  
 quæstio, quæ agitatur, tanto  
 minus negligi debent difficultates  
 quæcumque, etiam si dumtaxat appa-  
 rentes, quæ adversus eam moventur,  
 ut dissipatis quibuscumque contradic-  
 tionum nebulis, veritas clarius niteat.  
 Illam autem, de qua hic agitur, ne-  
 mo ignorat esse momentosissimam, ut  
 pote cum ab ea dependeant valor &  
 nullitas matrimoniorum contractorum  
 ab iis, qui in infidelitate conjuncti,  
 ad fidem Christi, suscepto baptisma-  
 te, pervenerunt, & eam ob causam  
 a sua comparte sunt derelicti. Suffi-  
 ceret quidem ad plene refutandam  
 opinionem illam novam, quam non-  
 nulli inducere conantur, ecclesiæ con-  
 suetudinem opponere, prout sæculo  
 3. factum est, dum ab hæreticis  
 baptizatos varii rebaptizabant; tunc  
 siquidem, teste Aug. lib. 2. de bapt.

cap. 9. Sgl̄a consuetudo opponebatur inducere volentibus novitatem.

*At pr̄esentes circumstantiæ videntur exigere, ut pr̄eter illud generale responsum, aliud particulare subjiciam.*

Cum ergo adversus dissertationem meam Theologo-Canonicam, in qua, secundum interpretationem SS. PP. & communem ecclesiæ sensum & praxim, sustinui prædicta matrimonia esse valida, prodierit scriptum aliquod, in quo novæ proponuntur difficultates, saltem apparentes, quas in dissertatione mea non tetigi, ut pote non propositas ab illis, quibus respondebam, dum dissertationem illam composui, nonnullaque carpan-  
tur, quæ in illa asserui, hinc, ut, quantum in me est, nullum super ista quæstione relinquam dubium, & illa dissolvere conabor, quæ objiciuntur, & vindicare, quæ carpuntur.

